



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XL. De ijs, quæ vi, metúsve causâ siunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tus Syndicum à se & Capitulo constitutum revocare in causis, in quibus solus in iudicio v. g. agere potest. Et quamvis non necessariò ex gremio Universitatis Syndicus constitui debeat, sed possit etiam esse extraneus, potest tamen in Syndicum deligi ipse etiam Universitatis talis Rector, & non tantùm unus, sed plures etiam deligi possunt; conveniens tamen

non est, ut Religiosi Syndici suorum Monasteriorum constituantur, cum à rebus forensibus abstrahi debeant) quamvis absolurè hoc cum licentia Prælati fieri possit) sed extraneum aliquem etiam Laicum constituendum, cui omnes cause in iudicio tractandæ, assignato salario, committantur, Pontifex putat in c. Sicut h. a.

TITVLVS XL.

DE IIS, QUÆ VI, METVSVE CAUSA FIUNT.

§. I.

Quid sit vis, quid metus, & quomplex?

Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest; metus verò instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio, prout utrumque definiunt Civilistæ, qui fatentur etiam cum Theologis & Canonistis, eam inrer utrumque esse differentiam, ut vis absoluta & simpliciter dicta, tollat omne voluntarium; metus autem, actum quidem ex metu factum reddat secundùm quid involuntarium, non autem simpliciter tollat voluntarium. Unde actus ex metu facti absolurè voluntarij dicuntur, ut patet etiam ex c. Sacris 5. h. t. De quo metu sciendum adhuc est, quòd metus alius gravis dicitur, seu cadens in constantem virum, quia est magni mali alicujus præsentis vel futuri formido, (sive deinde strictè gravis ille sit, sive respectivè tantùm) alius levis, & vanus, quem facile

contemnunt omnes. Alius probabilis & justus, quem leges approbant, alius nec probabilis, nec justus. Ex illo genere sunt metus mortis corporalis, metus atrocis cruciatûs corporis, aut membri abscidendi, metus amittendi libertatem per captivitatem & servitutem; metus gravium verberum, carceris aut exilij longi; metus stupri; metus amittendi honorifici statûs, vel jaçturæ omnium bonorum temporalium, aut majoris patris; metus infamiae juris, vel facti; metus excommunicationis injustæ, &c. sive deinde hoc sibi metuatur metum passus, sive suis parentibus, liberis, uxori, & secundùm aliquos, si fratri aut sorori ea metuatur, vel alii arctissime conjuncto, cum horum mala, nostra putemus. Quin etiam metus reverentialis filij erga Patrem, subditi erga Dominum Uxoris erga Maritum, si conjunctæ illi sint minæ, verbera, maltractatio, vel preces importunæ & sæpius repetitæ, &c. ad gravem metum ab

aliquibus pertinere censetur, præsertim, si minas tales exequi solitus sit, qui minatur.

§. II.

An per vim, seu coactionem absolutam contractus, alique actus vitientur; & quomodo probanda sit violentia, & amissa per illam?

TAlia per vim absolutam & injustam extorta ipso jure & facto nulla esse, certa est omnium sententia, & satis eam probat, quòd nullo modo talia gesta vim absolutam passio voluntaria sint, præsertim si exterius etiam, quantum potest, resistat. Probari autem debet violentia illata, si de hac non constet, per testes vel judicia violentam præsumptionem inferentia, ita ut non sufficiat solum juramentum conquirentis, juxta receptam glossam in c. final. h. t. v. pacifacita. Quia delicta liquida probari debent. Si verò de rebus per violentiam ablatis non constet, & de eorum quantitate, ac justis materiâ dubitatur, potest hæc probari per juramentum lætæ partis, ita tamen, ut prius præcedere debeat taxatio Judicis, audito læso, cui postmodum juramentum deferatur, quo juret, tantum sibi damnum, & non minus illatum fuisse, ad quod compensandum condemnatur reus.

§. III.

An, & quomodo metus vitiet contractus, aliosque actus etiam juramento confirmatos?

Pleraque acta & gesta, quorum metus gravis & injuste ab extrinseco, ad extorquendum actum talem incussus, causa fuit, ipso jure tam naturæ quàm po-

sitivo sunt valida; rescindi tamen possunt, & debent per actionem quod metus causa, sive per restitutionem in integrum. Ita communissima Theologorum, Canonistarum, & Legistarum sententia, & ex eo satis probatur, quòd metus talis non tollat simpliciter voluntarium, ne cogamur dicere etiam ea, quæ à metu intrinseco, aut à metu justè incusso proveniunt, nulla esse, quòd nemo dixerit, cui sententiæ c. Abbas 2. h. t. & plurima alia jura suffragantur; & quamvis in contrarium pro nullitate taliter gestorum multa etiam tam jura quàm argumenta afferantur, ea tamen vel de specialibus tantum casibus intelligenda sunt; vel volunt tantum, efficaciam non esse talia metu extorta, cum rescindi possint; vel de illis casibus tantum intelligi debent, ubi dolus intervenit, vel voluit tantum, quòd actio decur ad rescindendum, contractum v. g. metu passio, &c. quòd si tamen talis contractus metu gravi extortus juramento confirmatus sit, servari ille debebit, si sine dispendio æternæ salutis servari possit, prout accipitur ex c. Ad aures 3. & c. Cum dilectus 6. h. t. absque spe relaxationis, facile obtinendæ, nisi hoc ipsum juramentum gravi metu extortum fuerit, quo in casu non tantum facilis relaxatio à Judice Ecclesiastico obtinebitur, si petatur, sed ipse Judex ex officio juramentum tale remittere debet, & rescindere postmodum contractum, &c. ita tamen, ut semper etiam talia metu extorta juramenta, si servari debeant, strictæ sint explanationis.

¶ (o) ¶

D d z

§. IV. Quæ

§. IV.

Quinam Contractus, aliive, actus metu gravi facti, sint ipso iure irriti?

Dictum priore §. plerâque tali gravi metu gesta, ipso iure valida esse, rescindi tamen posse. Sunt enim aliqua, quæ ipso etiam iure positivo irrita sunt, si gravi metu extorta fuerint, ita ut nullâ rescissione indigeant. Et primò quidem ipso iure irritum, & nullum est matrimonium in utroque foro, si per metum gravem, cadentem in constantem virum, injustè ad extorquendum consensum matrimonialem, incussus, contractum fuit. *c. 14. & 15. De sponsali.* ita ut nec per iuramentum additum vim aliquam habeat, *c. 2. De eo, qui duxit, &c.* cum iuramentum supplere non possit defectum liberi consensûs ad substantiam matrimonij requisiti. Secundò nulla est professio religiosa, tali metu ad extorquendam eam injustè incusso, emissâ *c. ult. Qui Clerici vel Monachi, &c. & c. 1. h. t.* (ob defectum scilicet consensûs planè liberi, cum de hoc matrimonio spiritali idem dicendum sit, quod de matrimonio carnali) nisi postmodum cessante metu, spontè, expressè vel tacitè fuerit ea ratificata; qui metus tamen non præsumitur cessare, quamdiu vixerit ille, qui metum talem incusserit, & neque talem metum passa persona statim professionem suam censetur ratificare, si quàm primùm rescit, mortuum esse, qui metum incussit, & non statim reclamât, sed consideratis variis circumstantiis ta-

cita ratihabito estimari debet, vel oblectari Tridentini Constitutio quinquennium, ad causas nullitatis professionis deducendas, concedentis. De qua suo loco. Tertio ponunt multi inter actus de iure ecclesiastico nullos, quodlibet votum simplex, si ad extorquendum tale votum metus gravis ab extorsore injustè incussus fuit, prout colligunt *ex c. 1. h. t. & glossa docet in c. 2. V. contractus h. t.* Cum enim votum sit opus consilij, & non præcepti, & perpetuitatem aliquam habeat, videtur non minùs plenam libertatem requirere, quàm Religiosa Professio. Quarto Contractus dotis promissæ vel solutæ ex simili metu, ipso iure seu facto redditur irritus. *Leg. Si mulier 21. §. si dos. ff. h. t. junctâ Glossâ V. nullam omnes,* ut ea scilicet quæ matrimonio adjuncta sunt, sint omnino libera, sicuti matrimonium liberum esse debet. Quintò promissio, vel traditio rerum Ecclesiæ facta ex metu gravi ipso iure invalida est. *Can. 1. causa 15. quæst. 6. junctâ Glossâ V. per metum.* Quod idem de iuramento per metum extorto super Ecclesiæ rebus non repetendis, in *c. 2. de iurejur.* Si enim defectus solemnitatum facit nullam rerum Ecclesiæ alienationem, multò magis metus. Sextò nulla est de iure positivo ecclesiastico absolutio à censura per talem metum ab ecclesiastico Iudice extortam, & qui ita extorquet, ipso facto excommunicationem incurrit, uti habetur in *c. Vnico. h. t. in 6. ad cavendum scilicet, omnimodæ libertati ecclesiasticæ.* Plures adhuc casus referuntur ab Auctore Method. quos ex metu factos, volunt aliqui esse nullos, quia tamen hos non esse extra controversiam ipse fatetur, rectius

videntur, omitti posse hic; ne longiori disputationi occasio detur: videri tamen possunt apud Auctorem hic.

§. V.

De conditionibus requisitis, ut ex causa metus, contractus, vel alius actus rescindatur, vel etiam ipso jure irritus reddatur, & de actione & exceptione, qua datur metum passo.

UT rescindantur, vel irrita sint, quæ metu extorta sunt, plures requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut metus saltem respectivè sit gravis, ut dictum, neque enim ex quolibet metu levi hæc rescissio concedi deberet, ne nimium multiplicentur lites, quod bono publico non conducit. Secunda est, ut metus illatus sit ab extrinseca causa libera liberè agente. Ne, qui metus à causis naturalibus oritur, à naufragio v. g. à periculis bestiarum &c. morborum &c. & ab intrinseco incussus dicitur, dicatur irritum actum, aut votum in tali metu conceptum facere, quod nemo asserit, cum nemini per talem metum injuria fiat. Tertia est, ut injustè metus ille illatus sit, qui enim justè infertur metus, nullo modo invalidat actum ex tali metu factum, cum ille, qui metum talem patitur, causa

sit hujus metus, & sponte suâ aliquid obligat ut medium, ad metum talem evadendum. Quarta est, ut metus talis incutiatur directè ad extorquendum talem consensum aut contractum, in aliis enim casibus non tam ab alio, quàm à se compellitur hic metum passus, ad matrimonium v. g. contrahendum, aut religiosam professionem emittendam; sunt tamen aliqui, qui hanc conditionem necessariam non putant, sed sufficere volunt, ut aliis conditionibus præsentibus, per metum injustè illatum consensus obtineatur, ut nullus hic sit, vel saltem rescindatur, in quocunque enim casu metus ille injustus causa est consensus. Quinta denique conditio est, ut metum passus damnum aliquod inde habeat, restitutio enim in integrum, quæ per rescissionem contractus v. g. talis obtinetur, læsionem supponit; & idè non tantùm actio, quod metus causa, sive restitutio in integrum datur metum passo, sed exceptio etiam, quod metus causa, ut qui per metum talem ad dandum aliquid aut promittendum coactus fuit, repetere donatum possit, aut excipere contra eum, qui metu incusso promissionem obtinuit, non solvere teneatur.

